

vire, sed Deo. MUNSTERI I. IX, *Cosmog.* c. XIX.

DAMNUM. — Eulogius Lapidica, cum invento thesauro viam sibi ad summos honores stravisset, adeo mutatus est, ut nec Deum nec homines amplius curaret; quosque in antiquam vililitatem dejectus, resipuit, honorumque vanitatem et inconstantiam agnovit. ENGELGR. *Dom. II, Pasch.* § 2.

(*Vide plura supra tit. Ambitio.*)

#### EXEMPLA DOMESTICA.

S. Franciscus Borgia, abdicato Ducatu, sæpius oblatum Cardinalatus honorem recusavit, dicens: Deum precatus sum, ut mihi vita prius abire liceat, quam titulus iterum honoribusque invitum onerari. *Vita* I. II, c. II.

Cardinalis Lugo a purpura sic abhorruit, ut ad primum illius nuntium in deliquium incidit, dumque iterum sibi restitutus est, in has voces eruperit: Miseremini mei, miseremini mei, quia manus Domini tetigit me! *ARLIG.* I. II, tom. XI, in *ep. dedic.*

Jacobus Laynes Episcopatum Majoricensis, Archiepiscopatum Pisanum ac Florentinum, Cardinalatum, et Pontificatum, pro quo duodecim jam vota habebat, recusavit. *Hist. Soc. p. II, l. VIII, n. 216.*

Episcopatum quoque Viennensem Petrus Carisius, Tergestinum Claudius Jaius, et alium Nicolaus Bobadilla recusavit. *Ibid.* I. III, n. 47.

(*Vide plura supra tit. Ambitio.*)

#### EXEMPLA PROFANA.

Themistocles, cum quemdam anxie Magistratum sollicitantem intellexeret, dixisse fertur: Si mihi duas ostenderetis vias, quarum una ad sepulchrum, altera ad tribunal duceat, multo libentius priorem ingrederer. *ELIAN.* I. VI.

Selenicus dicere solebat, paucis notum esse regnum ac magistratum, ac neminem, qui illud noverit, inventum iri, qui diadema regium humi projectum tolleret. *ERASMUS.*

Antigonus in Regem adscitus, priusquam diadema capiti imponeret: O nobile magis, aiebat, quam felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis, et miseriis sit refer-

tus, nec humi quidem jacentem tollere vellet. *BEIRLINCK,* tom. III, in *festo S. Jacobi.*

Alexander Severus Imperator creatus, cum vix annos sexdecim natus esset, ob virtutes eximias, titulis magnificis a Senatu decoratus, nunquam in animum induxit, ut se Magnam et Patriæ Patrem nominari pateretur; oportere enim, aiebat, ut res gestæ maturiorque ætas ea nomina parent. *JOSEPHUS LANG.* in *Polyanth.* V. cod.

Maximus Senior Cæsar nunquam ad oscula pedum quempiam admisit, dicens: Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. *JOSEPH. LANG.* V, cod.

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut flores coronarii sine odore; sic se habent honores quæsit ex stemmate, ambitione opumque multitudine. *Ibid.*

Sicut umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur, vel a tergo est; ita honor aliquando ante nos est, et visendum se præbet, aliquando in averso est, majorque, quo serior. *SENEC.* I. II, ep. 86.

UTILITAS. — Sicut tinctorum eum potissimum colorem panno inducunt, quo homines maxime delectari vident; ita juvenut ad ea potissimum rapitur, quibus populus honores defert. *ERASM.* I. II, *Apophth.*

DAMNUM. — Sicut colossi seu statuae male librata sæpius evertuntur; ita nimis honor per invidiam multos avertit. *PLUTARCH.* in *Mor.*

Sicut deciduæ stellæ subito extinguuntur; ita qui repente ad summos honores evehuntur, cito præcipitari solent. *Ibid.*

Sicut coquinæ nidor nequaquam hominem nutrit, sed olfactum tantum provocat; ita nec honores quemquam beant, sed infamem dumtaxat prurium excitant. *THURVEUS.* *Apophth.* 465.

Sicut is, qui capite dolet, coronariis sertis gravatur magis, quam recreatur, eoque magis, quo majorem illa odorem spirant; ita neque honores vitæ commoditati quidquam conducunt, sed insigniter officiant. *Ibid.* *Apophth.* 454.

#### ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ de honore Asceta

specialiter advertere debet. Primum est, ut sciat, unde vere quisque æstimandus, honorque illi tribuendus sit. Id quod Seneca sequentibus verbis docet: Nemo eorum, quos divitiæ, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Quia cum basi sua illum metiris. Minutus pumilio, licet in monte constiterit; colossus magnitudinem servabit, etiamsi in puteo constiterit. Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus ex æquo. Cum vero velis æstimationem hominis inire, et scire, qualis sit, nudum inspicie, ponat patrimonium, honores, et alia fortunæ mendacia, corpus suum exuat et animum intueri, qualis sit, quantusque, alieno, an suo magnus. *SENECA,* in *epist.*

Alterum est, ut vanitatem honoris mundani cognoscat; utpote qui ex alieno arbitrio dependet, et plerumque etiam indignissimis confertur. Unde merito eundem sapientissimi quique sanctissimique viri sunt aversati.

Tertium est, ut solum honorem, qui ex virtute oritur, utpote solidum et verum, sectetur. Unde jam olim Romani duo templa Virtuti et Honori sic edificarunt, ut nulli ingressus in Honoris templum pateret, qui non per Virtutis templum prius transisset. *PANORMI.* de *Gestis Alph.* I. I.

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cicero illum proprie honorem æstimari dicebat, quem quis neque majorum commendatione, neque per alterius commendationem assecutus sit. *CICERO,* in *Philipp.*

Non male cecinit Ovidius:

In pretio pretium nunc est, dat census honores;  
Census amicitias, pauper ubique jacet.

OVID. I. III. *Fast.*

Et alius, honorum desiderium explicaturus:

An erit, qui velle recuset,  
Os populi meruisse?

PERSEUS, Sat. I.

Urbanus VII, quoties amiculum e subtili tela induebat, alto pectore ingeminans dicebat: Quis crederet, sub tam levi sindone tantum ponderis delitescere? *ENGELGR.* *Dom. Polmar.* § 1.

UTILITAS. — Aristoteles dicebat: Qua in civitate non maximus virtuti honos tribuitur, in ea optimus civitatis status stabilis et

firmus esse nullatenus potest. *ARIST.* I. II. de *Repub.* c. 9.

Sed et Valerius Maximus virtutis uberimum alimentum honorem esse dixit. *VAL. MAX.* de *Inst. antiq.* I. II.

DAMNUM. — Veteres arguunt nunc splendidiã servitutem, nunc auro comedes, nunc falsam felicitatem; inter Christianos vero statim miserimum, salutis naufragium, curarum ac discriminis abyssum, libertatis vinculum vocabant. *BEIRLINCK,* text. III, in *festo S. Jacobi.*

#### AUCTORES.

Henricus Engelgrave, p. 2. *Lucis Evang.* in *Dom.* XVI, post *Pent.* § 11.

Laurentius Beirlinek, text. III, in *festo S. Jacobi.* Et in *Theatro Vitæ humane,* V. cod.

Ludovicus Granatensis, *Locis Communi-* bus, fol. 584.

Nicolaus Lancizius, *opusc.* VIII, I. II, præcipue, c. v, n. 51.

Josephus Langius, in *Polyanth.* V. cod.

#### HUMILITAS.

##### QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Variæ a variis definitur: S. Laurentius Justinianus ait, esse virtutem, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. *Tr. de Humil.* c. 1, 22.

Juxta S. Thomam, est laudabilis sui ad ima dejectio. II, II, q. CII.

Secundum S. Basilium, est depositio vani sensus, qui ab elatione vanæ de se existimationis proficiscitur. Q. CXXVIII.

Juxta S. Augustinum, est ex intuitu propria conditionis, et sui Conditoris, voluntaria mentis inclinatio in suo imo, ordinabili ad suum Conditorem. *In c. II. ISALE.*

B. Maria Magdalena de Pazzis judicio, humilitas nihil aliud est, quam continua cognitio sui non esse, et continuum gaudium in omnibus illis rebus, quæ possunt inducere ad sui contemptum. *ROSIGN.* I. IV. de *disc.* c. XXXVIII.

Denique Sanctus Climacus narrat, cum religiosis hominibus Senatus olim convenisset, et in eo, quid sit Humilitas? quasi-



tum fuisset, primum dixisse, quod sit recto factorum intentissima oblitio; secundum, quod sit animi contriti sensus; tertium, quod sit magnum opus et divinum, via autem ad illam sit, ut aliquis seipsum omnibus subiectum ponat. Hoc autem sit esse subiectum omnibus, ut non attendat aliena peccata, sed sua semper aspiciat, et pro iis Deum sine intermissione deprecetur. Aliis denique alia dicentibus, unum sic respondisse: Humilitas est gratia sine nomine. Ibi nominis aliquid acquirit, ubi noscitur. Præceptor e celo, Humilitatis Magister: *Discite*, inquit, non ab homine, non ab Angelo, sed a me, non aurum aut gemmas creare, non mundum fabricare, vel in mundo mirabilia facere, non mortuos suscitare, sed quia *mitis sum et humilis corde*, et invenietis requiem animabus vestris. Bellorum ac litigiorum nullus est finis, qui a sola humilitate petendus est. LANCIZ, opus. III, c. x, gr. v.

Juxta S. Bonaventuram, humilitas est ex intuitu propriae conditionis vel fragilitatis, voluntaria mentis inclinatio. Quapropter observandum, quod, quando Incarnata Sapientia humilibus exaltationem promittit, his verbis loquitur: Qui se humiliaverit, exaltabitur; non dicit, qui humiliatur, sed qui humiliaverit se, id est, qui sponte, et ex propria voluntate sibi ipsi vilescit. S. BONAV. tom. VIII, l. II, de *Profectu* 29.

Significat profecto, inquit S. Bernardus, non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantum, quæ de voluntate venit, non ex tristitia, vel ex necessitate. Prima inter octo Beatitudines hæc est: *Beati pauperes spiritu*; at vero D. Chrysostomus interrogat, quinam sunt hi pauperes spiritu? et respondet: Humiles scilicet mente, atque contriti spiritu; spiritum enim posuit hic pro anima et voluntate. Quia enim sunt humiles plurimi, non sua sponte ducti, sed necessitate rerum coacti, reliquens huiusmodi (neque enim hoc inter laudanda numerandum est) eos, qui se humiliant et comprimunt voluntate, eos primos beatos appellat. D. CARUS. hom. xv in *Math.*

S. Thomas Villanovanus in quodam sermone de Sancto Martino humilitatis definitionem inquirens inquit: Quid est humilitas? moxque per auctoritatem S. Bernardi respondet: Humilitas est virtus, qua quisque vera sui cognitione sibi vilescit, id est, contemptus et vilipendium suum noscens ex vera et clara cognitione sui. Qui ergo in sua re-

putatione parvus est, et inutilis, et in corde suo nullius reputat se esse valoris, hic vere humilis est. S. THOM. VILLANOV. *cmc.* I, de S. Martino.

Attendum autem diligenter, ut ne fietam pro vera qui humilitatem eligat; nam, ut bene S. Hieronymus dixit: Multi humilitatis umbram, veritatem pauci, sequuntur. Perfacile est aliquem habere vestem contemptam, salutem submissius, manus et genua deoseculari, inclinato in terram capite, oculisque dejectis, humilitatem atque mansuetudinem polliceri, lenta voce tenuique sermones infringere, suspirare crebrius et ad omne verbum peccatorem ac miserum se clamare; sed si vel levi sermone offensus fuerit, continuo videbis attollere supercilium, levare cervicem, et delicatum illum oris sonum insano clamore repente mutare. In quodam ep.

Hinc Ecclesiasticus nonnullorum declarat artificium, qui se humiles esse fingunt, cum tamen interius vel maxime existimari, et honorari affectant: Est qui nequit humiliter se, inquit, et interiora eius plena sunt dolo, et est, qui se nimium submittit a vera humilitate, et est, qui inclinat faciem suam, et fingit. Quorum proinde humiliationem cavendam esse monet Doctor Angelicus dicens: Quandoque fit solum secundum signa exteriora, secundum fictionem, unde hæc est falsa humilitas, de qua S. Augustinus dicit in quadam Epistola, quod est magna superbia, quia videtur tendere ad excellentiam glorie. MANSI, tr. xxxii, disc. i, n. 2.

Quem locum Ecclesiastici Sanctus Laurentius Justinianus adducens inquit: Quidam honores fugiunt, ut honoribus fruantur, fingunt subesse, ut possint præesse. Sanct. Gregorius Magnus vita: spiritualis, eximisque omnium virtutum, præcipue vero contemptus sui ipsius cultor, alia indicat falsæ humilitatis artificia, dicit enim: Sunt nonnulli, qui de semetipsis humilia sentiunt, qui in honoribus positi, nil se esse, nisi pulverem favillamque produnt, sed tamen coram hominibus despecti apparere refugiunt, et contra hoc, quod interius cogitant, quasi rigida exteriori venustate palliantur. Et sunt nonnulli, qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt dejectos se exhibendo contemnunt, sed tamen apud se introrsus, quasi ex ipso merito ostense vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in

specie elationem premunt. S. LAUR. JUST. de *Liq. Vit.* c. vi.

S. Climacus, supra jam citatus, prolixè de hæc virtute discurrens, dum suam quoque huius virtutis definitionem assignare contendit, hæc pariter circumstantiam exprimit dicens: Humilitas est altissima et subtilissima vilitatis propriae cognitio.

Atque ex hæcenus dictis patet 1. quomodo hæc virtus etiam summis viris, inamo et ipsi Deo, conveniat; nam ut bene olim dixit Plinius, cui nihil augendum fastigium superest, hoc uno modo crescere potest, si se ipse submittat. Patet 2. cur humilitas ad temperantiam pertinere dicatur, quia scilicet, ut bene discurrit S. Thomas, reprimit motum spei, qui est motus spiritus in magna tendentis. Unde S. Bernardus: Totius, inquit, humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divine subjecta sit voluntati, propter quam etiam humiliando aliis se subiciat.

Divisio. — Dividitur Humilitas 1. in humilitatem *cognitionis* et *affectus*. Quam divisionem Sanctus Bernardus sequentibus verbis indicavit: Est humilitas, quam veritas nobis parit, et non habet calorem; et est humilitas, quam charitas format et inflammat; hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. In eo, qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. Sed si quis innocentiam retinet, et nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum possidere decorem? Rara avis in terris, sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi, et ideo beata, quia utramque retinuit. Et alibi: Considera in his verbis (*discite a me*, quia mitis sum, et humilis corde) quoniam humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, que hic dicitur cordis. Priore cognoscimus, quod nihil simus, et hæc dicitur a nobis ipsis, et ab infirmitate propria; posteriore calcamus gloriam mundi, et hæc ab illo disicimus, qui exinanivit semetipsum formam servi accipiens, qui etiam quæsitus in regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra et ignominiosum crucis supplicium, sponte obtulit semetipsum.

Dividitur 2. in humilitatem *quoad Deum*, et *quoad homines*, quam divisionem S. Thomas indicavit, dum dixit: Cum in homine duo possint considerari, id, quod est Dei, id est, dona Dei; et id, quod est hominis, hoc est, defectus, quilibet homo secundum id,

quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere; quantum ad id, quod Dei est, in ipso.

ACTUS, seu GRADUS.—Richardus de Sancto Victore tres adducit, eosque valde considerabiles humilitatis gradus, inquirens: Humilis est, qui se ipsum apud semetipsum veraciter contemnit; humilior autem, qui se contemni etiam ab aliis non refugit; humillimus vero, qui contemptum suum non solum contemnit, sed admodum concupiscit.

S. Anselmus, in libro de *Similitudinibus*, septem ponit humilitatis gradus. Primus est, se contemptibilem et peccatorem esse cognoscere. Secundus, ita effectualiter credere, Tertius, aliis confiteri. Quartus, hoc velle credi. Quintus, velle ita dici. Sextus, exultare et lætari, valem et peccatorem dici. Septimus, quod amet et gaudeat, se velut contemptibilem conculari. Ad hæc etiam addi potest, quod, ut homo efficacius fiat huiusmodi, se verbis et factis et gestibus cordialiter vilipendi desideret.

S. Bonaventura et S. Ignatius tres assignant gradus sequentes: Primus est subesse majori, nec præferre se æquali. Secundus subesse pari, nec se præferre minori, nec velle præferri. Tertius subesse minori. Quam eandem instructionem, diu ante Seraphicum, Mellitus tradidit in hæc verba: Humilitatis virtus habet hæc tria, superiori subdi, æquali non præferri, minori plus subdi, quam præferri. Idem S. Bonaventura alibi nos assignat gradus: Gradus humilitatis sunt quatuor, inquit ille. Primus est, spernere mundum. Secundus, spernere nullum. Tertius, spernere seipsum. Quartus, contemnere semper, vel non curare sui contemptum.

Præterea Cassianus decem humilitatis gradus assignat. Ex omnibus tamen potiores esse videntur duodecim sequentes a S. Bernardo et S. Thoma assignari, nimirum:

Primus gradus, seu actus, est, *seipsum despicere*; juxta quem gradum, ut supra dictum est, S. Bernardus humilitatem definitivè, dixitque, esse virtutem, qua homo verissima sui agnitione sibi vilescit. Ut autem hunc gradum quis obtineat, optimum senex quidam interrogatus medium dixit esse, si sua dumtaxat, et non alterius, mala quis consideret. Item si tria ista semper in mente habeat, ut S. Bernardus suavit: Quid fuisti? Quia sperma foetidum! Quid es? Quia vas stercorum! Quid eris? Quia esca vermium!



Secundus est, *sibi ipsi diffidere*, juxta illud Osee: Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Osee XIX, 19. Et illud Christi: Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. JOAN. XV, 8. Hinc Salomon: Et ut scivi, quoniam non aliter possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat Sapientie, scire, ejus esset hoc donum; adii Dominum, et deprecatus sum illum. SAP. VIII, 19.

Tertius est, *se omnium minimum reputare*; juxta illud Thomæ Kempensis: Non reputes te aliquid profecisse (in humilitate) nisi omnibus inferiori te esse sentias. L. II, c. II. Hoc ipsum suavit Saluator illis verbis: Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, (Luc. XIV, 10.) ut quem admodum S. Bernardus discurret, solus omnium novissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas. Quia non est periculum, quantumcumque te humiliter, quantumcumque minore reputes, quam sis; est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel uni in tua te cogitatione præferas. Ser. XXXVII, sup. Cant.

Quartus est, *se divinis donis indignum reputare*; ita S. Gregorius suadet dicens: Cum divinis muneribus actus proprios meditare; nec dignum te judicabis eo, quo fruere, si intelliges, quod mereris. Hom. VII. Et iterum: Sancti viri, quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt; quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat, inveniunt. Idem, in Moral. Quanti autem faciendus sit iste gradus, præclare indicat S. Augustinus his verbis: Felix est, cui ostendit Deus misericordiam suam. Ostendendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi, quia, quidquid boni habet ipse homo, non habet, nisi ab illo; quia omne bonum nostrum ipse est. Et cum hoc viderit homo, videt, quia totum, quod in se laudatur, de misericordia Dei est, non de meritis suis. Et videndo ista non superbit; non superbiendo non extollitur; non se extollendo non cadit; non cadendo stat; stando, inherendo manet; manendo proficit, et laetatur in Domino Deo suo. Super Ps. XXXIV.

Quintus est, *nolle laudari et honorari*; nam verus humilis, teste S. Bernardo, vilis vult

reputari, non humilis prædicari; gaudet contemptu sui, hoc solo superbus, quod laudes contemnat. Ser. XVI in Cant.

Sextus est, *cupere ab aliis contemni*, ad exemplum Apostolorum, qui habent gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habitus sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Act. V, 14. Quemadmodum enim (inquit S. Ignatius Loyola) mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt et quarunt magna cum diligentia, honorem, famam, magui nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet; sic qui procedunt in Spiritu, et serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant et ardent exoptant ea, quæ eis omnino contraria sunt, indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore ac reverentia, adeo ut si sine offensione ulla divinæ Majestatis, et absque proximi peccato foret, vellet contumelias, falsa testimonia et injurias pati, ac stulti haberi et estimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quod exoptent assimilari ac imitari aliquo modo Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque vestibus et insignibus indui. Cap. IV, Ex. § 44. Quanti autem faciendus sit hic gradus, indicavit S. Laur. Justinianus dicens: Non est tantæ virtutis, honores contemere, quam contemptum appetere. Plus enim est, ut male affici negligas, quam ut bene affici non cupias. Cæterum illud summæ perfectionis est, ut male affici desideres. In Vita S. Laur. Justin.

Septimus est, *defectus proprios libenter detegere*; nam, teste S. Dorotheo, humilitatis filia est sui ipsius accusatio. Doct. 2. Et juxta S. Gregorium: Hæc sunt veræ humilitatis testimonia, iniquitatem suam agnoscere, et cognitam vocem confessionis aperire, et enuntiatam penitentiae satisfactione delere. In Ps. ut pœnit. Hinc alibi: Summopere curandum esse, ait, ut mala, quæ fecimus, et sponte fateamur, et hæc aliis arguentibus non negemus. L. XXII, Mor. c. XIV. Ipse certe de se dixit: Ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari paratus sum, et solum mihi amicis æstimo, per ejus linguam ante districti Judicis apparitionem meæ maculas mentis tergo. Sed et latro quidam, cum gravissima vitæ suæ peccata Abbat in confessione explicasset, jussus ea coram 230 Monachis repetere, promptissime id fecit. LANCIZ. opus. 8, c. VIII.

Octavus est, *Deo se subjicere*; juxta S. Pe-

tri monitum: Humiliamini ergo sub potenti manu Dei. 2 PETR. V, 6. Et hic fere primarius est humilitatis actus, teste S. Ambrosio, dum ait: In eo proprietatem ipsius definimus, quod per omnia Deo subditur. Lib. X, ep. LXXXIV. Et clarius S. Bernardus: Totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinæ, ut dignum est, subjecta sit voluntati, sicut ait Propheta: Nomen Deo subjecta erit anima mea? Scio quidem creaturam omnem, velit, nolit, subjectam esse Creatori. Sed a creatura rationali subjectio queritur, ut voluntarie sacrificet Domino, et conflatur nomini ejus, non quia terribile et sanctum, non quia potens, sed quia bonum est. In serm. de Subjectione. Atque hoc scilicet modo S. Ignatius humilitatem consideravit, quando tres eidem gradus assignavit. Quorum primus est, et quidem ad salutem necessarius, ut quis se penitus subdat divinæ legi observandæ, utque ne mundi quidem totius oblatio dominio, aut vitæ discrimine objecto, transgrediatur ex deliberato mandatum ullum divinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Secundus majoris est perfectionis, ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitæ ac longitudinem aque sit propensus, ubi æqualis est divinæ laudis et salutis propriæ occasio, ut quis nulla vel humane quantæcumque felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita adducatur unquam, ut culpam, licet venialem tantum, decernat admittere. Tertius est absolutissimus, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret, ad majorem tamen imitationem Christi eligat potius cum eo paupere spreto et illuso panperem, contemptum, et insipientie titulum amplecti, quam opes, honores, et sapientie estimationem. In lib. Ex. c. 2.

Nonus est, *proximo se subjicere*; juxta illud S. Petri: Subjecti estote omni humane creature propter Deum. I PETR. II, 8. Neque enim, ut bene advertit S. Ambrosius, est humilitas, quod facere debes necessitate; vera autem est, quando cedimus iis, qui nobis videntur esse minores, et eos veneramus, qui nobis magis videntur esse indigni, quam nos. Ep. LXXXIV, l. X.

Decimus est, *humilia officia appetere*; nam, ut sapienter S. Dorotheus dixit, anima disponitur ab his, quæ parantur in corpore, se-

quiturque habitum corporis. Aliter enim v. g. disponitur anima insidentis in asino, aliter sedentis in throno, aliter optimis vestimentis induti, aliter panosii. Verbo, humiliato corpore, humiliatur et anima. Ser. II. Ut autem ejusmodi officia vobis estimentur, et alacrius assumantur, intelligendum est, inquit S. Basilii, debere pietatis cultorem viliora etiam officia magno cum studio, magnaque cum alacritate suscipere; scientem nihil minutum esse, quod Dei causa fiat, sed grande et spirituale, et ejusmodi, quod cælum nobis et præmia cælestia conciliet. Constit. Mon. c. XXIX. Hinc ipse etiam Christus Sanctæ Brigittæ dixit: Vestes tuæ debent esse humilitas exterior et interior, ut nec extollas te, quasi alii sanctiorem interius, nec erubescas coram hominibus exterius te exhibere humilem. Quanti autem faciendus sit hic gradus, pulchre Sanctus Gregorius docuit his verbis: Ecce quem Dominus singulariter cunctis prætulit, sese sub Domino, et exæquando minimis, et abjecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducit, non subjectorum oculis saltando vilescente metuit, non se honore prælatum cæteris ante ejus arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo egit vilis, vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus egerat. Quid de ejus factis ab aliis sentiat, ignoro, ego plus David saltantem stupeo, quam pugnantem; pugnantem quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsam vicit. LANCIZ. opus. VIII, c. III, n. 10.

Undecimus est, *se ad omnia inutilem reputare*, juxta illud Christi: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi intiles sumus; quod debemus facere, fecimus. Luc. XVII, Qui quidem gradus adeo excellens est, ut Alphonsus Rodriguez, post S. Bonaventuram, ipsum ultimo loco collocet, censeatque de illo dici posse, quod S. Laurentius Justinianus de humilitate in genere pronuntiaverat, scilicet, neminem, quid sit humilitas, probe nosse, nisi cui divinitus datum sit esse humilem. S. XXVI in Cant.

Duodecimus est, *silentium in confusionibus et accusationibus, vel increpationibus servare*; quid enim dolorosius apud mundiales (aiebat Virgo Beatissima S. Brigittæ) quam injuriam suam dissimulare, et omnibus se credere et tenere indigniorem et humiliorem?



Et, ut S. Bernardus testatur, suppressus dolor altius introrsus radicavit, eo acerbior factus, quo non est exire permixtus. Cujus rationem dans S. Thomas ait : Omne nocivum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animæ circa ipsum ; sed quando ad exteriora quodammodo disgregatur, et sic dolor minuitur interior. Nimirum dolor speciem ignis gerit, quia, dum plus tegitur, plus ignescit. 1, 2, q. xxxviii, a. 2. Aut (quemadmodum S. Nilus discurret) nubibus est similis, quæ, dum dense sunt et obscuræ, aquis turgent; at postquam eas exonerarunt, clarescunt et splendide fiunt. Lanciz. op. viii, c. vii.

## EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Ego autem sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis. PSAL. xxi, 7.

Ludam, et vilior fiam plus, quam factus sum; et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. II REG. vi, 22.

Quia semel cepi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. GEN. xviii, 27.

Qui post me venturus est, fortior me est cujus non sum dignus calcamenta portare. MATTH. iii, 41.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus. Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium perisema usque adhuc. I COR. iv, 10.

Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati. ACT. v, 41.

NECESSITAS. — Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Quicumque ergo se humiliaverit, sicut parvulus iste, hic major est in Regno cælorum. MATTH. xviii, 3.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. I PETR. v, 5.

Humilia valde spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis. ECCL. vii, 19.

UTILITAS. — Humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio. JED. ix, 16.

Ubi est humilitas, ibi et sapientia. PROV. xi, 2.

Oratio humiliantis se penetrabit nubes, et, donec propinquet, non consolabitur; et non discedet, donec Altissimus aspiciat. ECCL. xxxv, 21.

Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo; quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. ECCL. iii, 20.

DIGNITAS. — Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cælo et in terra? PS. cxli, 5.

Excelsus Dominus, et humilia respicit; et alta a longe cognoscit. PS. cxxxvii, 7.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. I PETR. v, 6.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. LUC. xviii, 14.

Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. LUC. xiv, 20.

Humiliamini in conspectu Dei, et exaltabit vos. JAC. iv, 18.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despiciet. PS. xx, 49.

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitus inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum. PHILIP. ii, 4.

Antequam coneratur, exaltatur cor hominis; et antequam glorificetur, humiliatur. PROV. xviii, 12.

Superbiam sequitur humilitas; et humilem spiritu suscipiet gloria. PROV. xxix, 23.

Sapientia humiliati exaltabit caput illius; et in medio magnatum consedere eum faciet. ECCL. xi, 2.

JUCUNDITAS. — Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. MATTH. xi, 19.

## EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Ideo Deus abscondit gratiam, ut unam gratiam certam habeamus, scilicet humilitatem. S. GREG.

Verus humilis non vult humilis prædicari, sed vilis reputari; nec reputat solum, quam vilis sit in præsentem, sed quam vilis etiam esse possit; immo quam vilis esset ac fieret, nisi Deus violenter ipsum a peccato retraxisset, et nisi ei tentationes subtraheret. S. BERN. s. xvi, *super Cant.*

Justus accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat læsionem. S. AMBR. in Ps. xxxvii.

Electi ne invite curvantur in morte, sponte curvantur in humilitate. S. GREG. Mor.

In cunctis se despiciat, qui in suis oculis esse humilem profitetur. Ibid.

Magnus unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo esse se nesciat; ne, dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat. Idem.

Oportet bona opera sciendo nescire, quia et recta hæc astimare oportet, et minima; recta, ut custodiamus; minima, ne inflemur. Idem, l. ix, c. xvii.

Quia origo virtutum in nobis est humilitas, illa veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in charitate perdurat, a qua nimirum si absconditur, arefcit; quia vivificantis se in intimis, humorem charitatis perdit. S. GREG. xxvii, Mor.

Ille humilis consensus est, qui pro nihilo se reputat, et ab aliis reputari vult; qui proprie conscientia testimonio contentus, ignorantis populi favores non solum non querit, sed pro nihilo despiciat; qui laude falsa non lenitur, sed pungitur; qui ita gaudet despectu, sicut superbus in honore. S. THOM. VILLANOV. conc. 1, de S. Mart.

Aurora, quæ fugat tenebras, lucem nuntiatur, merito humilitatem designat, quia sicut illa diem et noctem, ita ista dividit justum et peccatorem; ab humilitate justus quisque incipit, et inde proficit. Unde etiam ipsa aurora consurgens dicitur, ut videlicet virtutum structura surgens ab humilitate,

stamquam proprio fundamento erigatur. S. BERN. s. lxi, in *Parv. cant.* c. vi, 9.

Humilitas est oculus animæ, per quam homo conditionem suam ac statum suum verissime recognoscit; unde dicit Bernardus: Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. S. ALBERT. M. ser. in 3 *Adv.*

Humilitatis summa in eo consistit, si voluntas nostra per omnia divine voluntati subjecta fuerit. S. GREG. de *Subject. nostræ volunt.*

Non magnum est, esse humilem in abiectione, magna prorsus et rara virtus est humilitas honorata. S. BERNARD. *sup. Missus est.*

Non indocta humilitas, sed quæ habeat sui modestiam et scientiam laudatur. S. AMBROS. de *Offic.*

Humilitas est virtus magna, cui etiam Dei majestas se inclinatur. S. GREG. ser. xxxvii, *sup. Cant.*

Humilitas vera est, qua quis de se parva aestimat, et bona alterius sine invidia et livore commendat. Id. hom. vi *Mor.*

NECESSITAS. — Nihil est in omnibus nostris bonis operibus, quod hæc non egeat; nihil est, quod sine hac stare possit. S. CARYS. ser. xvii, de *Prof. Evang.*

Debet, qui fabricat, singulos lapides una cum cæmento ponere atque connectere; nam si lapides projecerit super lapides absque cæmento, procul dubio excutiantur, nec consistere penitus poterit ædificium, sed omne ruet; porro cæmentum cordis humilitas est, est enim a terra cæmentum, quæ pedibus omnibus subjicitur. S. DOROTH. serm. xiv.

Arcta est janua Regni cælorum, nec recipit nisi parvos; dicit et docet hoc ipse humilitatis Magister, qui advocans parvulum statuit in medio discipulorum, et dixit: « Nisi conversi fueritis, et efficiamini, sicut parvulus iste, non intrabitis in Regnum cælorum. » S. BERN. c. xvii de *Pass.*

Ideo Christus præcipue nobis commendavit humilitatem, quia per hoc maxime removeret impedimentum humanæ salutis, quæ consistit in hoc, quod homo ad cælestia et spiritualia tendat, a quibus impeditur, dum in terrenis magnificari studet, et ideo Dominus, ut impedimentum salutis auferret, exteriorem celsitudinem contemendam monstravit per humilitatis exempla, et sic humilitas est quasi quedam dispositio ad liberum accessum hominis in spiritualia et



divina bona. S. THOM. 2. 2. q. CLXI. art. 3. ad 4.

Quid est, quod incessanter orantes et supplicantes non possumus ad eam, quam desideramus, gratiæ abundantiam pervenire? Putatis, quia avarus factus Deus, aut inops, aut impotens, aut inexorabilis? Absit hoc, absit; sed ipse cognovit figmentum nostrum; ne forte, ut ante dixit, elationis vitium incurramus, sicut enim iste corporeus sol, licet bonus sit et valde necessarius, tamen fervor ejus, si temperatus non fuerit, infirmo capiti, et splendor infirmis oculis nocet; nec est solis culpa, sed infirmitatis; sic etiam Sol Justitiæ est. S. BERN. hom. IV. sup. Ps. Qui habitat.

Non est mirum, si inopes simus virtutum, cum matrem et custodem virtutum, scilicet humilitatem, tam alienam a nobis sentiamus. Quid enim causæ est, quod ille, qui dives est in misericordia, Pater coelestis, qui etiam pro dilectione, qua dilexit nos, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quid inquam, causæ est, quod nos tam inopes gratiarum et virtutum reliquit, quasi non sit ei cura de nobis? Nimirum aut desidia nostra in causa est, quod non instanter querimus eum, ut debemus; aut superbia, quia, etsi querimus instanter, videt tamen Deus, non prodesse nobis, ut inde extollamur, et fieret nobis ipsa donorum ejus sublimatio altioris occasio ruinæ. S. BOS. l. II de Prof. Relig. c. XXXIII.

Fundamentum sanctitatis, ut S. Cyrilianus ait, semper fuit humilitas, nec in celo stare poluit superba sublimitas; hanc primam gratiam ingrediens in mundum noster Parvulus attulit. S. CYR. de Nat. Christi.

Humilitas est omnis nostræ virtutis et operationis fortificativa, et omnis spiritualis roboris augmentativa, quia ponit omnes vires nostras ac operationes super solidum fundamentum. S. BONAVEN. orat. II de Conf. Humilitate subtracta, etiamsi ad ipsum usque coelum conversationis sublimitate pervenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur; nam sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid honorum absque humilitate congreges, statim cuncta defluunt. S. CHRYS. hom. XV in Matth.

Si amittitur humilitas, virtutum aggregatio non nisi ruina est. S. BERN. Epist. XII.

Non aliam tibi ad capessen lam et obtinendam veritatis viam invenias, quam qua monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea autem prima est humilitas, et quoties interrogares, secunda humilitas, tertia humilitas dicitur. S. AUG. in ep. ad Diosc.

Perit omne, quod agitur, si non in humilitate solidatur. S. GREG. l. VIII Mor.

Nisi humilitas omnia, quæcumque benefacimus, et præcesserit, et comitetur, et subsequuta fuerit, jam nobis de aliquo facto bono gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. S. AUG.

Cum augentur dona, etiam rationes crescent donorum; tanto ergo humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse coaspicit in reddenda ratione. S. GREG. hom. IX in Evang.

Excelsa est patria, humilis est via. Ergo qui querit patriam, quid recusat viam? S. AUG. super Joan.

Frustra appellamur Christiani, si imitatores non fuerimus Christi, qui ideo viam se esse dixit, ut conversatio Magistri fieret forma Discipuli; et illam humilitatem eligat servus, quam secutus est Dominus ejus, qui fuit Christus. S. LEO, in serm. de Nativ.

UTILITAS — Bona humilitas, quæ nihil appetendo, totum, quod contemnit, adipiscitur. S. AMBR. l. VII super Luc.

Nihil conferendum humilitatis virtuti; ipsa enim mater est, et radix, et alitrix, et fulcimentum, et vineulum bonorum. S. CHRYS. hom. XXX in Act.

Humilitas est tutissimum virtutum omnium thesaurus. S. BASIL. c. XVII Const. Monast.

Nihil humilitate potentius. Fortior est petra, solidior adamante, et in majore securitate nos collocat, quam quant vel turres, vel urbes, vel muri, omnibusque Diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit. Nihil magis odit Demone, quam humilem et Dei amantem. S. CHRYS. hom. XX in Act.

Altus est Deus, humilias te, et descendit ad te; erigis te, et fugit a te. Quare? Quoniam excelsus est, et humilia de proximo respicit, ut attollat, ut bonis repleat; alta, id est, superba, de longe cognoscit, ut deprimat. S. AUG.

Omnis labor monachi sine humilitate vanus est. Humilitas enim est præcursor charitatis, sicut Joannes erat præcursor Jesu,

omnes trahens ad eum; ita humilitas attrahit ad charitatem, id est, ad ipsum Deum, quia Deus charitas est. In vitis PP.

Nihil humilibus arduum reperitur, quibus et gratia fert auxilium, et obedientiæ devotio lenit imperium. S. BERN. s. de Convers. ad Cler. c. XXX.

Cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum omnino gratiæ propinquantis. Nam sicut ante rubram exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. S. CLIM. grad. XXVI.

Animi in virtute progressus, in humilitate progressus est. S. BASIL. s. ascet. de Abdic. rer.

Cum humilitatis virtus animam repleverit, dejecerit, liquefecerit, tunc incipit dilatari dilectione, irradiari veritate, repleri lumine, elevari spiritu. S. LAUR. JUST. l. de Cast. Conub.

Se animo seire submittere, est seire Christum imitari. S. BASIL. l. c.

Tota victoria Salvatoris, qua et Diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. S. LEO, s. VII. de Epiph.

Sacra est biga, charitas atque humilitas, quippe illa exaltat, hæc exaltatos, ne unquam decendant, continet. CLIMAC. grad. XXV.

Humilitas magna virtus, quæ meretur, quod non docetur. S. BERN. s. LXXXV. in Cant.

Humilitate cursus ille consummetur, quo velut de luteis domibus ad coelestes ascenditur mansiones. Si nescis, quis iste cursus sit, Augustinum lege his ad Macedonium scribentem verbis: Virtus in hac vita nihil aliud est, quam diligere, quod diligendum est; id diligere, prudentia est; nullis inde averti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est; nulla superbia, justitia est; humilitas hoc in loco nomine intelligitur justitiæ, tanquam cæterarum consummatio et clausinacula virtutum. HILDEBERTUS, apud Mansi, dis. III, n. 8.

Hæc virtus plurimarum virtutum mater est et origo; ex hoc enim fonte innumerae aliæ virtutes scaturiunt. Inde obedientia, timor, reverentia, patientia, modestia, mansuetudo, amicitia, pax. Qui enim humilis, libenter omnibus obtemperat, omnes reveretur, omnes timet offendere, injurias vero aut per mansuetudinem non sentit, aut per patientiam sustinet; quietus sibi, pacificus omnibus, omnibus mitis, nullam

despicit, nullum lædit, omnibus subditur. S. TH. VILL., conc. I de S. Martino.

Meretur humilitas, ut aliæ virtutes dentur, quoniam humilibus Deus dat gratiam; servat acceptas, quam non requiescit Spiritus, nisi super humilem; servatas consummat, quia virtus infirmitate, hoc est, in humilibus, perficitur. S. BERN. ep. IV.

Frates optimi, nostis, quia pluvia, si montem nimis erectum invenerit, cito in vallem decurrit; et ideo qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, et impletur in iis, quod scriptum est: « Omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur. » Quod est, omnis vallis implebitur; nisi omnis, qui se humiliat, exaltabitur? S. CESAR. AREL. ap. Mansi, d. v, n. 4.

Vovisti Deo virginitatem tuam, et post votum perdidisti? Virginitas autem semel amissa, reparari aut recuperari nunquam potest. Quid ergo reddes Deo pro eo quod vovisti, et irrecuperabiliter perdidisti? Audi, redde poenitentiam tuam, redde contritionem, redde humilitatem, et collis humiliabitur, redde humilitatem cordis; humilitatem per se debueras, etiamsi virginitatem habueras, et tamen si virginitatem reddere non potes, redde pro illa humilitatem, et satisfaciatur tam pro se, quam pro illa. Vide, quanta virtus est humilitatis. Socia humilitatis virginitas, et socia est virginitatis humilitas, non tamen potest, si abest humilitas, satisfacere virginitas; potest autem, etsi abest virginitas, satisfacere, si habeatur vera humilitas. HUGO DE S. VICTORE, t. II de Inst. Monast. s. LIII.

Non solum omnem gratiam et virtutem custodit humilitas, sed etiam supplet; quidquid enim tibi obedientiæ, castitatis, patientiæ, sanctitatis deest, humilitate suppletur. S. THOM. VILL., l. VI.

Humilitas est brevis schola devotionis, et brevis via salvationis, brevis scala, si vis ascendere; brevis schola, si vis addiscere; brevis via, si vis incedere. Est humilitas brevis schola, est enim compendium totius justitiæ. S. BONAV. in Diata, tit. VII, c. II.

Si propter imbecillitatem laborare non possumus, humiliari saltem nos ipsos studeamus. Confido enim in Domini misericordia, quod si modicam hanc et brevem amplexati fuerimus humilitatem, inveniemur et nos inter Sanctorum illorum choros,



qui innumeris laboribus se affligentes Domino servierunt. S. DONOT., ser. II, de *Cord. Humilitate*.

Bonus fundus humilitas, qua veritas inquiritur, claritas acquiritur, irradiationes sapientiae percipiuntur. S. BERN., I. II, de *Consid.*

Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere; a gradu incipe, et ascendisti. S. AUG. de *Verb. Dom.*

Humilitate quid ditius, quid pretiosius, qua Regnum cœlorum emitur? S. BERN. in *vigil. Nat. Dom.*

Humiles et non clati replebunt templum Paradisi. Id. de *v. Isaie*, s. II.

DIGNITAS. — Vere qui est in humilitate fundatus, habet conversationem angelicam, purissimam, benignissimam, et pacificam. Et quia hæc pretiosa virtus humilitatis benignum animum facit, ideo homo humilis omnibus appetibilis efficitur, et omnibus amarus, et præcipue electis Dei. S. ANGELA, ap. *Mansi*, d. XIII, n. 6.

Est humilitas luminosa, instar sideris, radiosa, nam sicut sidus vel stella modica est in apparentia, cum tamen sidus in veritate, ut tradunt mathematici, sit majus tota terra, sic humilis cum sit parvus, in veritate est apud Deum maximus, et ex sua tamen et hominum reputatione, vult esse quasi nullus. Est instar lunæ, nam sicut luna est luminare, quod minuitur ex consumptione, ut dicitur Eccl. 43, sic humilis se minorare nititur, cum a Deo per gratiam consummatur. S. BONAV., l. c.

Si putas, quod Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? Si illum exaltavit, quem non augebit? Factus est minister omnium Dominus; et Auctor omnium vapulavit, pedes lavit, crucifixus est, mortuus est, sed in his omnibus detrimentum nullum video Divinitatis ejus, profectum operationis agnosco. Qui nihil habebat, quod ad potestatem suam adderet, habuit, quod ad cultum suæ Majestatis adjungeret. Nihil humilitas affert pendit; ille, qui se exinanivit, plenus est; ille, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, formam servi accipiens, in gloria est Dei Patris. S. AMBR. in *Ps.* CXVIII.

Cum Domino opum contemptus opulentia est; cum Domino terreni honoris despectus cœlorum Regnum est; cum Domino humilitas cordis generosæ et regie nativi-

tatis ornatus est. Hoc a se disci voluit, quod virtutum omnium maximum est. S. HILAR. in *Ps.* CXVIII, v. 107.

O sancta humilitas! Sola in tuis vultibus oculis, tuo te condennas judicio! Quantum Deo amabilis! Quam dignitate sublimis! Quam dives meritis! Quis te digne laudare valeat? Tu omnium te novissimam credens, cæteris honorabiliter antecedis; dum descendis, ascendis; dum gloriam fugis, acquis; dum latere cupis, effliceris manifesta, sine tui detrimento proficis, sine elatione præes! S. LAUR. JUSTIN. de *Agon. Chr.* c. III.

Sciendum magnopere est, quod tantum unaquaque anima sit pretiosior ante oculos Dei, quantum pro amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos; hinc, 1 Reg. 15, ad Saul dicitur: « Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constituit in tribubus Israel? » ac si aperte diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc quia magnus tibi es factus, es despectus mihi. Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi; tanto pretiosior Deo, quanto propter eum fit vilior. S. BERN. serm. v. de *Annuntiatione*.

Vere in hoc sui et mundi contemplu, omnis fere Philosophia Christiana consistit, siquidem quia Lucifer in celo superbia cathedram locaverat, et per superbiam multos Angelos inde deiecerat, Filius Dei in terra contrariam superbia humilitatis scholam posuit, ut per eam homines in cœlum reduceret. Unde in plateis Jerusalem clamore valido discipulis clamans aiebat: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. » Non vos doceo potentia meæ miracula, non cæcos illuminare, leprosos mundare, mortuos suscitare, sed mansuetudinem, humilitatemque, hæc omnis mea doctrina. S. TH. VILL. conc. 1, de *S. Martino*.

O humilitas angusta tibi, ampla Divinitati; pauper et insufficientis tibi, sufficiens ei, quem non capit orbis, copiose ac deliciose reficiens illum, qui et Angelos pascit! Super quem, inquit, requiescam, nisi super humilem? In omnibus requiem quesivi, sed apud humilem ancillam inveni. Non est inventa similis illi in gratia humilitatis, ideo in plenitudine humilitatis, requievit etiam corporaliter omnis plenitudo Divinitatis. GUERRICUS ABBAS, s. III de *Assumptione*.

Lapis pretiosus in annulo aureo decoratus est; et in virtutum corona inserta humilitas excolit. S. NILUS, *Orat.* XVI.

Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere; a gradu incipe, et ascendisti. S. AUG. de *Verb. Dom.*

Quisquis cupit Divinitatis tenere fastigia, humilitatis imma sectetur. Quicumque fratrem vult prævenire regnando, prius illum præveniat obsequendo. S. AMBR. in *serm.*

Non magnum est esse humilem in abjectione; magna prorsus et rara virtus humilitas honorata. S. BERN. s. sup. *Mis.*

Nulla splendidior gemma in omni præcipue ornatu Summi Pontificis, quam humilitas; hæc nempe si amittatur, illa virtutum aggregatio non nisi ruina est. Idem, in *epist.* XL.

Si gloriandum est Christiano, de humilitate gloriandum est, de qua crescitur apud Deum. S. AMBR.

Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est. S. AUG. I. de *Virg.* c. XXXI.

Perfecti et spirituales, cum ad firmamentum et robur virtutis suæ per virtutum obedientia et subjectionis perveniunt, premunt se semper, ac deiciunt in id, quod insipientium est; et unde infra se descendunt, inde ascendunt supra se, et humiliando se magis proficiunt, propter frequentes et sublimes excessus contemplationis. S. BEAX. de *Vit. Sol.* coll. xx.

O sancta humilitas, quam dissimilis es superbia! Ipsa superbia, Fratres mei, Luciferum de celo ejecit, sed humilitas Dei Filium incarnavit; ipsa superbia Adam de Paradiso expulit, sed humilitas latronem in Paradisum introduxit; superbia gigantum linguas divisit, humilitas gentes congregavit dispersas; superbia Nabuchodonosor in bestiam transformavit, sed humilitas Joseph Principem Israel constituit; superbia Pharaonem submersit, sed humilitas Moysen exaltavit. S. AUG. s. XXII, ad *Frat.*

Quanto fastum comprimis, tanto gratiam attrahis; modus enim amplificandæ gratiæ est vis humilitatis.

Valde rarum est, et valde paucorum, magna agere, nec se magnum reputare; multis præminere, et neminem despiciere. Unde vasa misericordiæ cum incipiunt de suis meritis intumescere, pia dispensatione cadere permittuntur, ut discant humiliter sapere, et de sua infirmitate vera sentire. S. BASIL. *or.* XXVIII.

Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus

in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum pretiosior, quanto fueris in oculis tuis despectior. ISIDOR. in *Synon.*

Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitas est premium. S. AUG. tr. CIV in *Joan.*

Vulnerasti cor meum, Soror mea, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quid gracilius, quid flexibilius crine unico? Quid subtilius et contractius humilitate? Capillum unicum vix oculi deprehendunt; humilitas eo deprimit hominem, ut vix sese inter homines numeret. RUP. in I. c. *Cant.* IV, 9.

JUCUNDITAS. — Bona humilitas, quæ et in presenti a mordacibus curis mentem facit quietam, et a minibus penis in futuro securam reddit conscientiam. S. BERN. in *epist.*

FACILITAS. — Beata iterumque beata humilitas, quod tam juvenibus, quam senibus secunda, tutaque, et quæ in cujusque facultate sita sit! S. CLIMACUS, gr. XXVI.

Si forte sublimitatis esset via proposita, inquit S. Bernardus, et illic iter, quo ostenderet salutare Dei, quanta facerent homines, ut exaltarent? Quam crudeliter invicem se sternerent, invicem conculerent! Quam impudenter raperent, manibusque et pedibus conarentur in altum, ut imponerent sese homines super capita aliena! Et certe qui contendit supergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multas patietur contradictiones, ascendentes equidem ex adverso. Nihil vero facilius est volenti, quam humilitate se ipsum. Hoc verbum est, dilectissimi, quod omnino nos reddit inexcusabiles, ut ne teneque quidem nobis velamen prætereunda liceat.

ÆQUITAS. — Memor esto, ne extollaris; memor autem eris, si te ipsum respexeris. Quomodo extolli potest, qui tot profundissimæ despicientiæ causas in se reperit? Dignus es misericordia, non laude aut extollentia. Quid enim, inquit, tam dignum misericordia, quam is, qui miser est, et qui se talem agnoscit, et proficitur; et quid tam indignum misericordia, quam superbus miser? S. BERN. s. II, in *c. Jejun.*

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Bene semper agere, et modicum de se tenere, humilis animæ indicium est. L. II, c. VI, § 3.



Humilis accepta confusione satis bene est in pace, quia stat in Deo, et non in mundo. L. II, c. III, § 2.

Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem esse te sentias. Ibid.

NECESSITAS. — Quid prodest tibi alta disputare de Trinitate, si careas humilitate, unde displicatur Trinitati? L. I, c. I, § 2.

Non sit tibi cura de magni nominis umbra, non de multorum familiaritate, nec de privata hominum dilectione. Ista enim generant distractiones, et magnas in corde obscuritates. Esto providus, et vigila in orationibus, et humilia te in omnibus. L. III, c. XXIV, § 2.

ÆQUITAS. — Sto attonitus, et considero, quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo, qui in Angelis reperisti pravitatem, quid fiet de me? L. III, c. XIV, § 1.

O quam humiliter et abjecto mihi de me ipso sentiendum est! Quam nihili pendendum si quid boni videri habere! O quam profunde submittere me debeo sub abyssalibus iudiciis tuis, Domine, ubi nihil aliud me esse invenio, quam nihil et nihil!

UTILITAS. — Melior est humilis rusticus, qui Deo servit, quam superbus philosophus, qui se neglecto cursu cœli considerat. L. I, c. II, § 1.

Humiliem Deus protegit et liberat; humilem diligit et consolatur; humili homini se inclinat; humili largitur gratiam magnam, et post ejus depressionem levat ad gloriam. Humili sua secreta revelat, et ad se dulciter trahit et invitat. L. II, c. II, § 1.

Esto humilis et pacificus, et erit tecum Jesus. L. II, c. VIII, § 3.

Si scires semper humilis et modicus in te permanere, nec non spiritum tuum bene moderari et regere, non incideres tam cito in periculum et offensam. L. III, c. VII, § 4.

DIGNITAS. — Pone te semper ad infimum, et dabitur tibi summum; nam summum non stat sine infimo. Summi Sancti apud Deum minimi sunt apud se; et quanto gloriosiores, tanto in se humiliores. L. II, c. X, § 4.

Tanto quis altius ad Deum ascendit, quanto profundius in se descendit, et plus sibi ipsi vilescit. L. II, c. XLII, § 1.

Vere magnus est, qui in se parvus est, et pro nihilo omne culmen honoris ducit. L. I, c. III, § 6.

JUCUNDITAS. — Jugis pax cum humili; in corde autem superbi zelus et indignatio frequentes.

Quod si ad plenum tui ipsius contemptum perveneris, scito, quod tunc abundantia pacis perfrueris, secundum possibilitatem tui incolatus. L. I, c. VII, § 3.

#### EXEMPLA CATHOLICA EXTERNÆ.

##### *Humilitas commendata.*

Christus ad Apostolos suos dixit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. MATTH. XI, 29.

B. Virgo cuidam monacho apparens precepit, ut, si Dæmonem vincere vellet, uteretur humilitate in victu, cibos vilissimos eligendo; in vestitu, vestes querendo obsoletestimas; in muneribus, ambiendo infima, et felicem se judicando, si quid ei obtingeret, a quo ceteri abhorrerent. ROBERTO. P. II, tr. III.

Eadem S. Brigittam excitans ad imitationem humilitatis suæ dicebat: Filia, fuge ad mantellum humilitatis meæ; et cogita te peccatricem super alios; quia etsi videris aliquos malos, nescis, quid eis cras futurum est. Nescis etiam, qua intentione, et qua scientia hoc faciunt, utrum infirmitate, an industria. Ideo nullis te præferas, nullosque in corde tuo debes judicare. Quid dulosos apud mundiales, quam injuriam suam dissimulare, et omnibus se credere et tenere indigniorem? Talis erit, o filia, humilitas mea. L. II *Rev.* c. XXIII.

Angelus ad Agar ancillam dixit: Revertere ad dominam tuam; et humiliare sub manu ipsius. GEN. XVI, 9.

Masseus S. Francisci socius, cum Fratres coram eo collationem de humilitatis virtute instituisset, dixissentque, extitisse quemdam Dei amicum omnibus virtutibus abundantem, et tamen peccatorem se maximum aestimantem, et crevisse hac ratione in supernaturalibus donis, adeo captus est amore hujus virtutis, ut se voto obstrinxerit, quod nunquam velit quiescere, donec illam humilitatem in animo suo sentiret adesse. Hinc perpetuo in cella manebat, gemens et inferno se dignum existimans, ut tantam acquireret humilitatem. Dum ergo pro dies multos ita mansisset, fame et siti se encens, accidit eum silvam ingredi, et post multos clamores hæc suspiria edero: Domine, Do-

mine, veram mihi humilitatem impertire! Tum Dominus cœlitus eum sic compellavit: Frater Massee, Frater Massee! Ille respondit: Domine mi! Et Dominus ad eum: Quid vis dare, quid vis dare ad hanc gratiam possidendam? Et Frater Masseus respondit: Oculis capitis mei. Et Dominus ad eum: At ego volo, ut oculos et gratiam habeas. Quo audito Masseus tanta se humilitate et jubilo perfusus sensit, ut præ cunctis hominibus se minimum reputaret. *Chron. Franc.* p. II, l. I, c. III.

##### *Humilitas se ipsum despiciens.*

Christus per Psalmistam dixit: Ego autem sum vermis et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis. PS. XXI, 7.

B. Virgo, licet jam in Dei Matrem electa, de se ipsa dicebat: Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum. LUC. I, 38.

S. Joannes Baptista, quo inter natos mulierum non surrexit major, dixit: Veniet fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. LUC. III, 16.

S. Petrus dixit ad Christum: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. LUC. V, 8.

S. Paulus de se dixit: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. I COR. XV, 9.

Idem de se et aliis Apostolis dicebat: Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema. IB. IV, 13.

Abraham ad Dominum dixit: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. GEN. XVIII, 27.

David ante arcam saltans, ideoque a Michol uxore sua despectus, dixit: Ludam, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis. II REG. VI, 22.

S. Franciscus se peccatorum maximum dixit; ob quam causam Frater quidam vidit eadem coronam in oculis maximam præparatam. S. BONAVEN. in *Vit.* c. VI.

De S. Laurentio B. Virgo dixit S. Brigittæ: Ecce, filia mea, Laurentium, qui tantum Filium meum dilexit, qui talia pro honore ejus passus est, indignum se dixit obtinere cœlum. LIB. II *Rev.* c. XXVI.

S. Clara sæpe suis monialibus dicebat: O Sorores, si me cognosceretis, potius me abominaremini; non enim sum talis, ut pu-

tatis, sed femina confusione plena, et omnium pessima. Et confessorius suis suadebat, ut eam haberent pro vilissima totius mundi creatura; quod cum non posset illis persuadere, sed ab iis pro sancta prædicaretur, adeo hæc re affligebatur, ut sæpe confessorius eam ob causam mutaverit, optando invenire aliquem, a quo pro face terre haberetur. *Vit.* p. II, c. VII.

B. Maria Magdalena de Pazzis etsi nunquam peccatum mortale commiserit, nec alia gravia venialia, tamen communicatura timebat, ne eam terra absorberet. Existimabat enim se Dæmonibus similem, indignam virginitatis aureola, et quæ Deo pure serviret; indignam omni gratia et dono cœlesti. Omnes Sorores putabat perfectas, se solam imperfectam, omnes laudabat, terramque, quam calcabat, osculabatur. Novitias etiam sibi subditas venerabatur, ut obstupesceret, quod se honorari a Magistra sua. Minimum defectum tamquam ingrati tudinem maximam detestabatur. Judicabat se causam esse omnium defectuum, qui in monasterio committebantur, et omnium totius mundi peccatorum, ideoque Deum rogabat, ut illis parendo, contra se pœnas justitiæ suæ exerceret, mirabaturque, quod eam Deus, Angeli, et Sancti tolerarent, quod terra non dehisceret, et vivam absorberet; timebatque, ne monasterio tamquam indigna eji cretur, ideoque vix oculis elevare audebat, quando cum aliis loquebatur. Ad chorum si eundem fuerat, cum tremore ibat, metuens, ne ejus peccato aliorum preces Deo minus acceptas redderet, et pro magno miraculo habebat, ita se Deo admitteretur ad laudes ei persolvendas. Morti autem proxime dicebat, se tolli a Deo ne ejus causa, si viveret, gravi aliquo supplicio mundum, ut ipsa merebatur, afficeret. *Vita.* p. IV, c. CXXXIII.

S. Philippus Nerius magno affectu se maximum totius mundi peccatorem dicebat, ideoque quotidie coram Deo protestabatur: Domine, cave a me hodie, nam te prodam, et omnia scelera patrabo, ni me custodias. Alias dicebat: Vulneris lateris Christi est magnum, sed nisi me Deus teneret, majus infligerem. *Vita.*

S. Ignatius Martyr ad Romanos scripsit: Me pudet de illorum numero dici; non enim dignus sum, cum novissimis eorum sim, et abortivum quidpiam. Et ad Ephesios: Romam vincetus abducere novissimus



Fidelium eorum, qui ibi sunt, qui ad honorem Dei has gestare catenas dignus habitus sim. *In Epist.*

Humilitatem prætebat Saul in opere, et sermone, antequam unctus esset in Regem, quando querebat asinas patris, et excusabat se apud Samuelem. Et postea dicitur est ei: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es? I REG. IX et XV.

Jacob innumeris beneficiis a Deo acceptis, fratri seniori prælatus, duodecim tribuum pater effectus, humiliter Deo dicit: Omnibus miserationibus tuis minor sum. GEN. XXXII.

*Humilitas honores fugiens.*

S. Ephrem, Syrus, Basilium, invisens, ab eoque divina revelatione cognitus, et Sacerdos ordinatus nunquam adduci potuit, ut sacrificaret. TYPPIUS, in *Spec. ep. signo CVII, n. 3.*

Cælestinus V, Pontifex, post Ordinem a se institutum tam sancte vixerat, ut post totius biennii disensionem, in illum unum et absentem Cardinalium vota conspirarent, cujus etiam consecratio plurimum, quam 200,000 hominum concursu celebrata dicitur. Ipse tamen vix mense quinto exacto, nequequam Carolo Rege, et populo Neapolitano deprecantibus, eo honore se iterum abdicavit, pristinaeque quieti se dedit. Ib. n. 4.

S. Petrus Damianus, diu Cardinalis et Episcopi Ostiensis munere functus, ad pristina se monachorum studia recepit, et scripto egregio facti sui rationem reddidit. Ib. n. 5.

S. Bernardus a tribus opulenti civitatibus in Archiepiscopum electus nunquam adduci potuit, ut eam dignitatem admitteret. *Sua. in Vit. 20 Aug.*

S. Dominicus, quatuor Episcopatus recusatis, mori se male aiebat, quam ejusmodi onere gravari. TYPPIUS, I. VI, sign. 41.

Alexander philosophus ut honores fugeret, carbonarium tamdiu egit, donec divino instinctu Comanæ civitatis Episcopus electus est. S. GREG. NYSS. in *Rebus gestis.*

S. Gregorius Magnus in Pontificem electus, nec precibus, nec incredibili omnium Ordinum consensu moveri potuit ad acceptandam dignitatem, cumque exitum omnem obseptum videret, in dolio exportari se

fecit in vicinum montem, et in antro latuit. Sed columnæ igneæ indicio proditus, et in latebra deprehensus, dignitatem acceptare coactus est. TYPPIUS, I. c. n. 23.

S. Augustinus de se ipso sic scribit: Usque adeo timebam Episcopatum, ut, quoniam coeperat alicujus momenti esse fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem, caverem. Et hoc agebam, quantum poteram, ut in loco humiliter salvarem, ne in alto periclitarer. *De Dio. s. v, 49.*

*Humilitas vitia officia eligens.*

S. Thomas, Cantuariensis Episcopus, quotidie tredecim pauperes convocabat, eisque genu flectens pedes lavabat, discumbentibus ministrabat, abeuntes cum donis dimittebat. *Sua. tom. VI.*

Gallicanus, Constantini Augusti gener, prius Romani dux exercitus, omnibus amore Christi contemptis, in monasterio servi officio functus est, pauperum pedes lavabat, pavimenta verrebat. *TERENT. in Passione Joam. et Pauli.*

S. Hieronymus non modo puerulos Grammaticam docuit, sed etiam jam senex ad Latam scripsit: Ipse, si Paulam miseris, magistrum me, et nutricium spondeo, gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonio perituro veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam, regnis celestibus inferendam. *In Epist. ad Latam.*

Joannes Gerson, monachus Ordinis Coelestinorum, et postea magnus Parisiensis Academiae Cancellarius, non dubitavit, se ad puerilem Catecheseos institutionem demittere, omnibusque eam ob singularem utilitatem commendare. TYPPIUS, sign. CVII, n. 12.

*Humilitas laudes fugiens.*

Otto, Bambergensis Episcopus, cum apud suos in magna æstimatione se esse, et a toto Clero ac populo cum hymnis et canticis solemniter in urbem receptum esse videret, deserta Diocesi sua in Pomeraniam ad annuntiandum illi genti Evangelium fugit, ubi licet deterime habebatur, et luto sordidabatur, tamen a prædicatione non cessavit, sed humilitatis et patientiæ exemplo prædura

pectora tandem emolliens ad fidem traduxit. TYPPIUS, in *Spec. mag. sig. CI, n. 1.*

S. Dominicus, cum Tolose multum acceptus esset ob conciones, Carcassonam, ubi potius eum iridebant et persequebantur auditores, se contulit, rogatusque, cur id faceret? respondit: Quia Tolosæ multi me honorant, Carcassonæ vero multi contradicunt. *Ibid. n. 3.*

S. Hilarius magis expavescebat fluctus humanarum laudum, quam ingruentes gurgites vastissimi pelagi exundantis. S. HIER. in *Vita.*

*Humilitas contemni appetens et gaudens.*

Apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habitus sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. ACT. III, 43.

S. Clara, si audiebat a multis se infamari, læto vultu gratias Deo agens dicebat: Laudetur Deus; vero confiteor, male merito de me loqui eos; cum non reperitur persona, supra quam possint cadere omnia vituperia mundi, quam supra me. *Vita, p. I, c. XXVII.*

Constantinus Præbyter in contemptoris amplexus involavit, eumque amanter exculatus dixit, neminem hactenus veriora de se locutum. PENNEQUIN, in *Isagog. diss. I, § 4.*

*Humilitas non erubescens generis obscuritatem.*

Benedictus I, infimo genere natus, cum proceres matrem pretiosis vestibus ornata ad ipsum duxissent, noluit eam agnoscere et recipere, donec viles vestes indueret. TYPPIUS, in *Spec. mag. signo CIV, n. 9.*

Sixtus V, obscuris natalibus ortus, per jocum dicebat, se ex illustrissima domo originem ducere; eam enim, in qua ipse natus sit, per mille rimas et scissuras, solis lumine admissio totam uno momento illustrari. *Ibid. n. 3.*

Willieundus, Archiepiscopus Moguntinus, quamvis esset primus Elector, tamen, quia fuit plaustrarii filius, ob summam principis dignitatem minime elatus plaustrariam rotam in omnibus conclavibus, et mensis pingi fecit, addito symbolo: Cogita, Willieunde, quisnam fueris, et quis modo sis. Quæ causa fuit, ut postea Henricus Claudius Imperator permisisset, hanc rotam insignibus Archiepiscopibus inseri. *Ibid. n. 4.*

*Humilitas fructuosa.*

S. Antonius, cum aliquando, videns omnes laqueos inimici super terram explicatos, diceret: Quis evadet? Vocem ad se dicentem audivit: Humilis.

Walerici humilis monachi olera vermes lædere non poterunt, cum tamen alia omnia circumquaque vastarentur. *Ibid. dis. IV, ex. XXVI.*

Humilis monachus a puella obsessa colaphum accipiens, cum alteram maxillam percutiendam offerret, Dæmonem fugavit. *Ibid. dist. II, ex. c.*

Cum Dæmon aliquando a senex corpore obsesso exire jussus diceret, se discussurum si prius senex, qui hædi, et qui agni essent, manifestaret; et senex responderet: Hædi tales sunt, qualis ego; agnos vero Deus scit: Audiens Dæmon clamavit voce magna: Ecce propter humilitatem tuam exeo. *Ibid. ex. CLXVIII.*

Humilis Frater a deceptione Diaboli, in specie Gabrielis apparentis, liberatur, quia dixit: Vide, ne ad alium missus sis. *Ibid. ex. LXX.*

De Achab Deus dixit ad Eliam: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. III REG. XXI, 29.

De Manasse sic loquitur S. Climacus: Invenio Manassem illum inter homines ceteris amplius et perniciosius peccasse, tempusque Dei ac Religionem omnem profano cultu idolorum coinquinasse, pro quo si mundus totus jejunasset, nullam sceleribus ejus penitentiam dignam inferre potuisset; valuit tamen humilitas insanabilia ejus vulnera curare. *Grad. xxxv.*

*Humilitas honorata.*

Sauli dictum est a Samuele: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es? I REG. XV, 17.

Cum quidam diu in extremis laboraret, tandem reversus ad se incepit flere, et causam rogatus dixit: Vidi, quod Deus specialiter diligeret humiles, et magnam haberet complacentiam in illis; ideo præ gaudio flevi, quia et mea opera vultu cum humilitate facta granter acceptavit, et ideo jussus sum vobis dicere, quod, qui vult salvus fieri, debet se humiliare, et Christum



imitari dicentem : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. *Discip.* s. XXXII, litt. 2.

Pygnusius, Ægypti monachus et Antistes, his ad honores declinandos ad aliud monasterium confugiens, ibique non sine gravibus dieteris triennio inter humilia munera exacto, bis cum magno gaudio et admiratione monachorum inventus est. *CASSIAN.* I. IV, c. XXX et XXXI.

Virgo quaedam stultitiam simulans, cum diu domesticis in monasterio ludibrio fuisset, tandem per Episcopum manifestata, et aliis virtutum exemplar proposita est. *Vita PP.* I. V, c. XV, n. 19.

#### *Humilitas juvenda.*

B. Magdalena de Pazzis vidit quondam B. Virginem tenentem vas pretiosum, liquore celestem donorum plenum, et dicentem : Ille liquor purus, attractivus, dulcis et delicatus datur illis, qui relinquunt sapientiam et prudentiam humanam; illum trahunt illi, qui magno zelo appetunt iustitiam et puritatem cordis, et illi, qui facti sunt stulti propter Christum. *LANCIZ. opus. VIII.* c. II, n. 3.

Christus B. Brigittæ revelavit, inter quatuor causas ob quas Lazarus a morte suscitari, tertiam fuisse, quia Mariæ Magdalene humilitas tantum meruit in lotionem pedum Christi, ut sic in conspectu multorum lætaretur vel honoraretur. *Ibid.* n. 6, et lib. IV, *Rev.* tom. VII.

#### ALIA EXEMPLA ILLUSTRIA.

\* *QUALITAS.* — S. Bonaventura in *Stimulo amoris* ita locutus est : Ut Deum placere possim, scio quid faciam. Afficiam me undique penalitatibus et angustiis, et me tamquam lutum foetidissimum conculcabo, abominabor me sicut stercus, et ero intolerabilis mihi ipsi, in mea confusione, et dejectione, et concultatione, sive a me, sive ab aliis illata. Lætabor et exultabo, cum apparuerit ignominia mea. Et quia non sufficio me detestari, contra me universum cœtum creaturarum congregabo, et a qualibet confundi et puniri desiderabo, quia earum contempti Creatorum. Hic erit mihi thesaurus desiderabilis, super me poenas et opprobria aggregare, et eos intimo corde diligere, qui me

adjuverint in hoc facto; omnem consolationem et honorem vite presentis horrebo, et velut hostes blandientes habebō. Credo firmiter, quod, si sic fecero, aperietur super me miserum et indignum divinæ pietatis thesaurus. S. BONAV. *apud Pennequin.* dissert. I, num. 20.

S. Paulinus, dum Amandi Episcopi precibus se commendat, simul rogat, ne inferendum omen suum pronuntiet, ob suorum peccatorum multitudinem et magnitudinem, indignum se esse, cujus nomen auribus Dei insonet, et pronuntiantis labia tam sordidi nominis appellatione coinquantur : Indigni, inquit, sumus, quorum nomina Domini auribus ingerantur, ne forte labia tua immunda fiant, cum nos nominaveris, et necesse sit os tuum igneo carbone perstringi. Nullus de se existimationem cum laude conjunctam, audire vel legere solitus est, quin auctorem ipsum ut deceptum, verbis castiget. Contra S. Severum, qui oris ejus effigiem postularat, serio stomachatur, rogatque, an sana mente dejectus sit, qui id petere in animum induxerit. Denique ut humilitatis exerecanda materiam nasceretur, se charitate stimulante in mancipium pro filio viduæ vendi voluit; in quo nescias, an plus se demiserit, quam Dei et proximi amorem ardentissimum sit testatus. *PENNEQ. p. II, Isag. c. XVIII, n. 12.*

S. Franciscus sui æstimatione non tantum ad inferos et nihilum descendit, sed indignum se, de quo cogitet Deus reputat, et mortalium nequissimum se dicit, ac cum Fratre Leone de sui profundissima abjectione disputans, sempiternis se damnatorum suppliciis addicit, qui calculo divino ad Seraphinorum ardentissimam charitatem erehatur, et amoris divini flammis exardescens, Christum ad sui similitudinem in ejus corpore per stigmata imprimendam adducit. *Ibid.* n. 13.

S. Dominicus, antequam in urbem aliquam ingrederetur, genuflexo Deum rogabat, ne urbem illam castigaret, ideo, quod ipse mortalium scelestissimus in eam pedem inferret. Sancti vero Vincentii, ejus sequacis, quanta demissio, qui se fetidum et omnibus exosum cadaver haberi volebat, quem omnes fugerent et abominarentur, et tamen quantis ignibus corde ejus et ore prorumpentibus urbes et provincias inflammavit, peccatorumque altissimam glaciem passim dissolvit ! *Ibid.* n. 13.

S. Theresia virgo adeo se celestibus donis indignam existimabat, ut Deo diceret, ne tam cito peccatorum suorum oblivisceretur; ne gratiarum suarum pretiosum balsamum in vas tam fœdum et rimarum plenum effunderet; ne gemmas tam pretiosas manibus tam infirmis et parum tutis committeret, hinc dari occasionem minuendæ earum æstimationis apud homines, qui earum pretium ignorant, easque intuentur tam vilibus personis, qualis ipsa erat, consignatas et concreditas; nullam inesse sibi virtutem, nisi quam Deus in tempore largiretur; aliquando se ab omni rerum fugientium cupiditate absolutam et expeditam sibi videri, conformarique experientia; aliquando vero teneri se iis reulis implicatam, quas paulo ante habebat despiciatui, adeo ut se ipsam non agnosceret; nunc tanta animi fortitudine præditam, et ad omnia, quæ ad Dei spectabant obsequium, aggredienda magnanimitatem, ut numquam ob quoscunque eosque potentissimos oppositos pedem referret; altero vero die, inquit, tam me imbecillum sentiebam, ut ne formicæ quidem conculcandæ vires habere me crederem, si illa ceptis meis obstitisset. Nonnumquam nullis contumeliis vel minimum commovebatur, immo voluptatem ex illis capiebat : Verum, inquit, interdum e ontigit, ut vel verbulum me affligat, vellemque e vita decederet, quia omnium me tædet. Hæc et plura, ut in prologo vite sue insinuat, publico dare voluisset enucleatius, si Majorum permisisset auctoritas; sibi enim persuasum esse, neminem unquam tot a Deo cumulatum beneficis ita in pristinis defectus relapsum esse, et divinis gratis tantum obicem posuisse, sicut ipsa hactenus fecerat. Nimirum hos in animo illius sensus, hæc judicia pariebant profundissima humilitas, qua nec minimam sui laudationem ferre poterat, et ab omni vane gloriæ titillatione erat alienissima, qua exultabat gaudio, cum impeteretur opprobriis, et bonum semper pro injuria rependebat, ut abiret in proverbium, qui a Theresia amari vellet, et beneficis affici, illam verbis et factis tractaret, quam posset, pessime. *Ibid.* n. 10.

S. Maria Magdalena de Pazzis, cum apud aliquam et suis novitiss in magna esset opinione sanctitatis, ut eam illi adimeret, suos defectus et tentationes multis cum lacrymis et singultibus apud eam deposuit, quasi feminarum omnium esset vere nocentissima, addens pro epologo : Hæc tibi dixi, filia, ut noris, qualem Magistrum nacta sis, et nisi me Deus claustrum Religiosis inclusisset, vitam meam aut in perpetui carceris tenebris, aut carnicis manu finissem. Ora ergo pro me, ut Dei beneficio salutem alteram aliquando consequar. *Ib.* c. XIX, n. 3.

R. P. Condren, Oratorii Jesu secundus Generalis, qui se non tantum sub Judæ, aut Antichristi pedibus subternebat, sed Dæmone etiam inferiorem ducebat, dum a primario Regni Galliæ Ministro reprehenditur, et in ordinem etiam suum falsas delationes, ut justas et veras verbis exaggerantem audit, pacato silenzio omnia exceptit, dicens, æque communito toti Ordini, ac uni sibi factas contempiones et humiliations, æquo animo suscipiendas; cum vero ab impudica femina quasi de parum casto cum illa commercio accusaretur, resque jam manasset ad plures, et amici contra calumniatricem judicio agere vellent, vetuit, dicens, virtutem humilitatis, quam adeo sumper deperibat, forte se hac taciturnitate consecuturam. *Ib.* n. 8.

S. Bernardus monachus, a quibus injuste accusatus, et verbis etiam calumniosis violata fuerat, ita respondit : Adhærebo vobis, etsi nolitis, adhærebo, etsi nolim ipse. Invitis præstabo, ingratas adjiciam, et honorabo contempentes me. Quibus verba facta consenserunt. Unus aliquis alterius Ordinis monachus ad illum venit, rogans, ut in cœnobium Claravallense amitteretur; negat vir Sanctus, auctorque est illi, ut in suo Ordine perseveret. Ille stomachari, et cum bile rogare, cur ergo verbis et scriptis omnes ad perfectionem virtutum accenderet, si volenti consilium sequi manum præbere nollet; se ejus hæc de re scripta lacerturum in ejus conspectu, si in promptu essent. Respondit pacate Sanctus, se perfectionem suasisse, non loci mutationem. Hic ira commotior alapam viro sancto luculentam impingit: qui præsentibus aderant, involare in collum impudentes volebant, sed vetuit Bernardus, et pacate jussit hominem e cœnobio deduci. *Ib.* n. 10.

Alardus, Cobiensis Abbas, qui in aula Imperatoris Ludovici, filii Carolomanni, omnium virtutum gloria floruit, quem cum invidia calumniis dishonestatum, in exilium ejectionis, continuo ad humilitatis asylum confugit, et peccatis suis, non aliorum æmulationis, neque nimie Imperatoris credulitati hoc totum imputari voluit; suos monens, ne alium,



quam Deum hoc exilio peccata sua punientem, intuerentur. Ita scilicet loqui et sentire solent viri Sancti, ac in opprobriorum aquis, quas suis peccatis velut balneum eluendis præparavit Justitia divina, non sine voluptate voluntantur, ut acriores et puriores, levioresque ad divini amoris consequendum apicem inde emergant. *Ib. n. 11.*

Quendam ex providentissimis Fratris maligni Spiritus, oculis ejus spectabili forma obversantes, heatum prædicabant; quibus ille sapientissimus: Si me, inquit, in anima mea laudare desieritis, ex discessu vestro me magnum et eximium existimabo; si vero laudare perixeritis, ex vestra laudatione meas ipsius sordes et impuritatem facile conjectabo. *S. CLM. grad. XXV, n. 7.*

Damasenus vir dives et nobilis, ac magistratibus etiam gestis clarus, ad monasticam disciplinam se receperat, in qua cum seni cuidam traditus esset, visum est huic primum ac precipuum in eo humilitatis fundamentum ita jacere, ut eum infimis quibusque perfungi juberet, ollas tergere, verrere sordes, scaphia purgare, omnia denique obire ministeria, insuper etiam, quasi nullam rem recte ageret, crebra cum reprehensione atque objurgatione tentare, in qua eum ratione menses aliquot exercuit, tanto ejus profectu, quantum deinde totius vitæ sanctitas declaravit. Sed tamen tantum abest, ut illæ infimæ, ac sordidæ etiam, si per se spectentur, functiones aliquam Damasceno inter suos notam pepererint, ut potius id ipsum magis eum illustrarint, admirantibus omnibus, et in cœlum ferentibus, talem in tanto viro et mundi et sui ipsius desipientiam. Ac ipse quoque senex, qui ista imperando severiorem personam induerat, ubi maturum esse vidit, hilariter eum jucundeque complexus, et tantum ei profectum gratulatus, cum multis laudibus a sua disciplina tanquam rude donatum dimisit. *In vita Joan. Dam.*

Juxta Aneonitanam civitatem Ecclesia B. Martyris Stephani sita est, in qua vir venerabilis Constantius nomine, Mansionarii functus officio deserviebat, cujus sanctitatis opinio sese ad notitiam hominum longe lateque tetenderat, quia idem vir funditus terrena despiciens, toto annis mentis ad sola cœlestia flagrabat. Quadam vero die, dum in eadem Ecclesia dasset oleum, et prædictus Dei famulus, unde lampades accenderet, omnino non haberet; omnes lam-

pades Ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit, quas illato igne succendit, sicque aqua exarsit in lampadibus, ac si oleum fuisset. Et quia valde sanctitatis ejus opinio excreverat, multi hunc ex diversis provinciis anxie videre sitiebant. Quadam vero die ex longinquo loco quidam rusticus venit ad videndum eum. Eadem vero hora casu contigerat, ut Sanctus vir Constantius stans in ligneis gradibus reficiendis lampadibus deserviret. Erat autem pusillus valde, et exili forma atque despecta. Cumque is, qui venerat ad videndum eum, quisnam esset, inquireret, atque obnixè peteret, ut sibi debuisset ostendi, hi, qui illum noverant, monstraverunt, quis esset. Sed, sicut stultæ mentis homines, meritum ex qualitate corporis metiuntur, eum parvulum atque despectum videns, ipsum nec omnino non esse cepit credere. In mente enim rustica inter hoc, quod audierat et viderat, quasi facta fuerat quedam rixa, et æstimabat tam brevem per visionem esse non posse, quem tam ingentem audierat per opinionem. Cui ipsum esse, dum a pluribus fuisset astructum, desepit et derisit dicens: Ego vere grandem hominem credidi, iste autem de homine nihil habet. Quod ut vir Dei Constantius audivit, lampades, quas reficiebat, protinus letatus relinquens, concitus descendit, atque in ejusdem rustici amplexum ruit, eumque ex amore nimio constringere cepit brachiis et osculari, magnasque gratias agere, quod de se talia indicasset, dicens: Et tu solus es, qui habuisti oculos apertos in me. Ex qua re pensandum est, cujus apud se humilitatis fuit, qui desipientem se rusticum amplius amavit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, ita plerumque humiles in sua despectione gloriantur. Cumque se in alienis oculis viles aspiciunt, ideo gaudent, quia hoc judicium confirmari intelligunt, quod de se ipsis et apud semetipsos habuerunt. *S. GRÆC. l. I Dialog. c. v.*

Præteriens aliquando abbas Macarius a palade ad cellam suam, revertens portabat palmas. Et ecce occurrit ei Diabolus in via eum falce messoria. Voluit eum autem percutere falce illa, sed non potuit. Et dixit ei: Multas violentias patior a te, Macari, quia non possum prævalere adversum te. Ecce enim quidquid facis, et ego facio. Jejunas tu, ego penitus non manduco; vigilas tu,

ego penitus non dormio; castus es tu, et ego nullius femine unquam contubernio sum usus; divitiis tu renuntiasti, et mihi nullæ omnino divitiæ sunt, neque eas habere concupisco. Unum est autem, in quo me superas. Et dicit ei Abbas Macarius: Quid est illud? Respondens Diabolus dixit: Humilitas tua, per quam non valeo adversum te. *In vit. PP. l. de Humil. n. 12.*

Senex quidam erat solitarius vacans in eremo, et dicebat in semetipso, quia perfectus esset in virtutibus. Ille oravit Dominum, dicens: Ostende perfectioni meæ, quod deest mihi ut faciam. Volens autem Deus humiliare cogitationes ejus, dixit: Vade ad illum Archimandritam, et quidquid dixerit, facito. Revelavit Deus Archimandritæ illi, antequam ille ad illum veniret, dicens: Ecce solitarius ille venit ad te. Dic ergo ei, ut tollat flagellum, et vadat, et pascat tibi porcos. Veniens ergo senex pulsavit ostium, ingressus ad Archimandritam illum, salutaverunt se, et cum sederent, dixit ei solitarius ille, qui venerat: Dic mihi, quid faciam, ut sim salvus. Et ille dixit: Facies, quodcumque dixerit tibi? Respondit: Etiam. Et dixit ei: Ecce, tolle flagellum, et vade, et pascet porcos hos. Hi autem, qui eum noverant, et audierant de eo, cum vidissent, quia porcos pasceret, dicebant: Vidistis illum magnum solitarium, de quo audiebamus? Ecce stupuit cor ejus, et a Dæmonio vexatur, et pascit porcos. Videns autem Dominus Jesu humilitatem ejus, quia ita patienter sustinebat opprobria hominum, præcepit ei iterum redire ad locum suum. *VINC. BELLOVACENS. l. XXV. Spec. n. 39.*

Landfrancus, Papiæ civitate Italiæ oriundus, omni scientia seculari perfecte imbutus, Alpes transgressus, in Normaniam venit, et in Ambriacensi civitate aliquamdiu doctuit. Deinde mortalium auram captare, vanitatem esse considerans, consilium salutis arripuit, et statuit, ut propter eum omnia relinquere, quia omnia fecit. Cumque ire vellet Rothomagum, vespere in silva ultra fluvium Tillam in latrones incidit, qui cuncta, quæ habebat, tollentes, ligatis a tergo manibus, et caput capæ ante oculos ejus admotum, adduxerunt eum in devia, et inter condensa saltus fruteta dimiserunt. Talibus angustiis comprehensus, nescius quid ageret, infortunium suum lamentabatur. Tandem nocturno silentio in se reversus, et ad Deum conversus ait: Domine Deus, tantum

tempus in discendo expendi, et corpus animique in studiis literarum attrivi, et adhuc, quomodo debeam orare et laudare te, non didici; libera me de hac tribulatione, et ego sic vitam corrigere et instituire curabo, ut tibi servire valeam et sciam. Surgente aurora audivit viatores iter carpentes, et cepit ab eis vociferando auxilium petere; qui accedentes et eum solventes, reduxerunt ad viam. Rogavit autem, ut vilis et pauperius cœnobium, quod in regione noscerent, sibi demonstrarent. Nolebat enim adire locum, ubi litterati essent, qui eum honori et reverentia haberent. Igitur de consilio eorum tectum adiiit, ubi venerabilis Abbas Herluinus ejusdem cœnobii fundator, ac nuper e grandævio milite in Clericum promotus, eum cum gaudio suscepit. Qui monachus effectus, in discendis officiis curam maximam impendebat, ut sciret laudes Deo persolvere, sicut voverat. Sic per tres annos vixit solitarius, gaudens, quod nesciebatur, fere ab hominibus ignotus, omni vilitate et extremitate in cœnobio contentus. Et, ut fertur, lectionem in Ecclesia nolebat legeret nisi prius cantor eum audisset. Quadam etiam die, dum ad mensam legeret, quidam inter legendum dixit, sicut dicere debuit, quod Presidenti non placuit, et aliter dicere, jussit, velut si dixit docere media producta, jussit ille eam breviari, non enim Prior ille litteratus erat; sed vir sapiens sciens magis obedientiam Christo deberi, quam Donato, dimisit quod bene pronuntiaverat, et dixit quod non recte videbatur dicere. Cum autem rumor et fama viri longe lateque percrebuisse, Clerici accurrunt, illo de licentia Abbatis sui scholam tenente. Laici quoque potentes et nobiles multa pro ejus amore eidem Ecclesiæ contulerunt. *VINC. BELLOVACENS. Spec. mor. l. XXV, n. 39.*

S. Thomas Aquinas, cum semel in Conventu Bononiæ esset, et more solito per claustrum contemplaturus incederet, Frater quidam alterius Conventus, qui eum Doctorem esse non noverat, venit ad eum petita licentia a Priore, quod cum Fratre, qui primo sibi occurreret, in civitatem ad sua negotia ire liceret. Et dixit ei: Bone frater, Prior mandat, ut venias mecum. Qui statim inclinans caput secutus est eum. Post quem cum non posset sic festinanter incedere, sepe argutus a socio, se humiliter exensavit. Cives vero, qui noverant eum, mirati, quod tantus Doctor post Fratrem modicæ condi-



tionis incederet, qui dignus erat, ut præiret; cogitantes ergo, hoc ex errore aliquo contigisse, indicaverunt Fratri, quis ille esset, quem post se duceret. Qui conversus et stupidus factus petivit veniam, ut ejus ignorantia indulgeret. Et conversis prædicitis civibus ad Magistrum cum reverentia, et interrogantibus de tantæ humilitatis exemplo, benigne respondit: In obedientia omnis religio perficitur, qua homo homini propter Deum se subjicit, sicut se Deus hominibus propter hominem inclinat. Surtus, in *Vita S. Th. Aquin.*

S. Fulgentius, Ruspensis Episcopus, in Concilio Ucezensis, judicio Sacerdotum omnium, qui convenerant, Episcopo cuidam, nomine *Quod vult Deus*, qui priorem se illius existere confirmabat, anteposuit et prælatum, ipsa die tacuit, nec auctoritatem Concilii excusando minuire voluit. Sed ubi post Concilium dolere sensit Episcopum, timens propter suum honorem scandalum fratri, meliusque judicans, per charitatem se fieri minorem, quam sine charitate se fieri majorem; Supphetani postea Concilii gloriosum respiciens conventum adesse, preceam supplicem coram omnibus fudit, ut sibi rursus, se volente, *Quod vult Deus* Episcopus præferretur; ut nomine suo posterius recitato, lætus deinceps viveret. Consacerdotis animo reconciliato. Mirati sunt Episcopi humilitatem talia postulantem, nec contristari voluerunt offerentem Deo Sacrificium humilitatis ad custodiendam spiritus societatem in vinculo charitatis. *BARON. l. VII. Annal. ad ann. 523, 25.*

Cum S. Eduardus, Anglorum Rex, in Palatio juxta Ecclesiam B. Petri aliquando moraretur, supervenit quidam vir Hibernicus generis, pedis utriusque privatus officio; nervi enim in poplite contracti ad posteriores corporis partes crura retorserant, natibus inhaerant, immersisque carnibus pedum articuli a lumbis ejus et deorsum corpus omne perverterant. Porrectis ad terram manibus et scaminis suppositis repebat, et factus sibiomet ipsi gravis, trahebat se post se. Hic videns Regis Cubicularium, ait ad eum: Hugoline, non me respicies, nec misereberis, nec movebit te tanta calamitas mea? Et ille: Quid me vis facere? Cui pauper: Sexies, inquit, Apostolorum limina repens, ut cernis, visitavi, et sanitatem nondum promerui; quam tamen mihi Apostolorum Princeps non negavit, sed distulit

socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi novit in omnibus esse devotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi Regem adire, ut me suo sacro subrectum dorso, ad Ecclesiam ejus, que Palatio vicina est, perferat, recepturum, si fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. Hæc ubi nuntiata sunt Regi, gratias egit Deo et citatus mox æger accessit; Rex vero supposuit humeros suos ad portandum. Pendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper, squalidus manibus, brachiisque squamosis regium illud pectus collumque complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alii a paupere Regem delusum jocabantur, alii simplicitatem justitiamque judicabant. Cum itaque Rex paululum processisset, subito nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt, emergunt a carne articuli, pedes a natibus solvuntur. Distendit homo crura, poplite jam flexibili, et sanie cum sanguine profluente vestis regia ornatur potius quam fœdatur. Jam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ob sordes ulcerum deponendum. Ille vero memor præcepti, quod susceperat, sirenarum cantus obturata aure pertransiit, ingressusque Ecclesiam, ante sanctum Altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac Beato Petro resignat, incolumentemque dimisit. Quo tam novo et insolito in persona regia humilitatis exemplo, quantopere divinus Apostolus humilitatis virtutem colerit, et quanto illam in pretio haberit, satis aperte monstravit. *LUD. GRA. ap. III de cetr. Apo. Pol. p. 2.*

UTILITAS. — S. Ephrem se quemdam cognovisse refert, qui vitam quandam ducebat quietam, religiosam, summaque cum obedientia ordinatam; accidit vero, quod in eodem loco, ubi morabatur, alius quidam a Dæmone vexatus simul habitaret; ambo autem sub eadem alterius monachi disciplina constituti erant. Videns autem ille vir Dei afflictionem alterius dæmoniaci, eidem, ut sibi serviret, inque sui custodiam advigilaret, præcepit; cui alter prompte obediens, cum primitus in cellam ingrederetur, impositum sibi executurus ministerium, emergens se ex tunc a solitis vexationibus dæmoniacis notabiliter sublevatum esse confessus est, cumque simul colloquerentur, alter a Dæmone agitatus clamare coepit: Tu iterum huc male per malam venis viam;

mali sunt tui occursum, mala si dixeris, mala etiam audies. Primumque tu me eiecisti, atque ligasti per humilitatem tuam. Rursumque ad eum Dæmon: Ne extollaris, bone vir, ne queso extollaris, visilandus enim mihi et tu eris, nisi humilitate tua protegaris, nam ea et nunc ego crucior, impugnorque. Qua recensita historia B. Ephrem sequens format argumentum: Quod si igitur ipsi quoque Dæmones, quantumvis inviti, confitentur se nihil cum humilitate posse, sed eam timere, atque horrere, quare nos tantam illius dignitatem adeo parvi facimus? *S. EPHREM, Paran. III.*

S. Gertrudis aliquando memoria benefactorum tanto pudore suffudit, ut sibi exosa se conspectu divino indignissimam judicaret; optaretque aliquid nancisci latibulum, quo turpitudinem suam absconderet, et quod divinis non poterat, humanis saltem oculis et naribus tantum foetorem subduceret. Quid ageret hic Christus? Continuo tanta benevolentia ad eam se demisit, ut præ admiratione tota celestis curia a tanta demissione illum dehortari velle videretur; quibus Christus dixit: Sinite; continere enim me non possum, quin me totum ei impartiar, quæ tanta sui dejectione, cor meum ad se pellexit. *PÉNNEQ. p. II, Isag. c. XVIII, n. 2.*

Narraverunt de quodam sene, qui perseveraverat jejuniis septuaginta hebdomadas, semel in hebdomada se reficiens. Hic autem postulabat a Deo de quodam sermone Scripturarum Sanctarum, et non revelavit ei Deus. Dixit ergo in semetipso: Ecce tantum laborem sumpsit, et nihil profeci. Vado ergo ad Fratrem meum, et requiro ab eo. Qui cum egressus clausisset ostium suum, ut abiret, missus est ad eum Angelus Domini, dicens: Septuaginta hebdomades, quas jejunasti, non te fecerunt proximum Deo. Nunc ergo quia humiliatus es, ut ad Fratrem tuum pergeres, missus sum indicare tibi sermonem. Et aperiens ei de re eadem, quam querebat, indicavit ei, et mox discessit Angelus ab eo. *V. PP. l. de Hum. n. 33.*

Duo monachi, qui erant carnales fratres, habitabant simul, et volebat Diabolus separare eos, nec poterat; semel ergo unus, qui erat junior ætate, incendit lucernam, et posuit eam super candelabrum. Feceit autem opera sua Dæmon, et everit candelabrum. Pro qua re cecidit eum major frater cum ira; ille vero penitentiam egit, dicens ei:

TOMUS II.

Habe patientiam in me, frater, et iterum accendam eam. Et ecce virtus Domini venit, et torquebat Dæmonem illum usque mane. Dæmon autem nuntiavit principi suo, quod factum fuerat. Et audivit Sacerdos Paganorum id, quod retulerat Dæmon, et egressus factus est monachus, et ab initio conversionis sue tenuit humilitatem, dicens: Humilitas solvit omnem virtutem inimici, sicut eos ego audivi loquentes, dicendo: Quia quando perturbamus monachos, convertitur unus ex eis, et agens penitentiam, destruit omnem virtutem nostram. *V. Patr. l. de Hum. n. 4.*

DIGNITAS. — De S. Paula scribit S. Hieronymus: Quanto plus se deiecit, tanto magis a Christo sublevaritur; latebat, et non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores. *S. Hieron. in Epit. S. Paula.*

S. Carolus Borromæus omne usque ad finem vite in humilitatis virtute collocavit studium. Hæc ordinaria ejus et quotidiana erat epigrapha: *Humilitas*; similiter circumcivica imaginem ejus sequentia leguntur incisa verba: « Sola gaudet humilitate Deus. » Fuit autem hæc virtus tanto in eo rarior, quanto magis per extraordinarium semitam illi institit comparanda; siquidem non sicut major reliquorum Sanctorum pars, aut inter quatuor cœnobiorum muros reclusus, aut sepultus in eremis, sed in mediis magnificentissis et obsequiis mundi universi, cui admirationi, stupori et venerationi erat. Non est magnum, humile esse in abiectione, inquit S. Bernardus, magna et rara virtus humilitas honorata. Familie sue armisque renuntians gentilitis domus Borromææ, titulum sibi assumpsit S. Prædixis, comaque sibi radi fecit instar mancipii, subque habitu Cardinalitio indumenta adeo ferebat læcra, ut cum unum eorum cuidam pauperi in eleemosynam elargiri vellet, hic ipsum accipere detractarit. In visitationibus ambulat pedibus, propiusque servos multoties ab impedimentis liberabat, propriis ea imponens humeris, cum vilissima plebe familiaritatem inibat; et, ut plurima paucis concludam, dixisse suffecerit, quod Diabolus die quadam, dum chlamyde extensa per terram, ut Cardinalium mos est, Ecclesiam intraret, per obsessæ cujusdam os (quam eo temporis momento deserere cogebatur) ex-